Rever. præstantiss. Viro Dno Sebastiano Hoggero, Ecclesiæ Sangallensis Ministro, & Scholæ Rectori vigilantissimo, amico plurimum colendo.

Sangallum.

S. P.

Perlatus est tandem ad me, Præstantiss.e ac amiciss.e Vir,
Damhawerus: maledicum illud os Argentinense. Percurri
hinc inde scriptum, quo castris Israëlis horrendum in modum
~~modum~~ maledicit. Crambē millies coctam recoquit;
statum controversiarum ubiq. Ubiquista malitiosissimè per-
vertit, Ecclesiis nostris per summam nequitiam affingit,
quæ nunq. senserunt, docuerunt, scripserunt: ut cum
scribere non vereh., cardine versari in his, Sitne Deus bonus,
omnipotens, ein all- oder halb- barmhertziger vatter?
ob das Opfer der ungnugsam begabten, allein-leidend
menschheit ein unendliches gleichgiltiges Rantzion seye? ob
Christi persohn ein einige od. zweyfache persohn seye? Etc.
pag. 452. in dial. Luciani in modū coloratis hec habent:
Bauweise — dass Christus der Gott-mann durch mit sei-
nem (bloss-menschlichen, ungnugsamen, ausgerüsteten,
nicht-gleichgiltig) Blut erlöst habe können. Etc.
Increpet te Deus Satan. Non talentum merear, si quis
offerret ut cacatissimum & Satanicum hoc scriptum percur-
ram. Redibit igitur proximè ad dominum suum iste pi-
nicida. Quid Abbas vester parturiat, & Mani-
festum ejus clamat, & armilustrium, quod per omnem
ditionem suā instituit. Papatistæ Toggii sudes dicuntur
parare ferreis aculeis refertas: Nostris aute ibi loco-
rum nec arma imperantur, nec quicq. significat. Quin cum
Quinqpagicis bellum clam paret, nullus dubito. Agitur
heic vestra quoq. res, & Evangelicorū Abbatiscellanorum.
Somnum profectò hoc ex oculis nostris excutere debet, ut
adversus clandestinas has machinationes vicissim nos pare-
mus, ne ex improviso, nil tale opinantes, nos adoriantur
irreparabili nro damno. Certè secundo Cappellano bello
hac via incessêre, nostris tum stertentib. Quantum inde
damnorum ad Remp. nram & Ecclesias orthodoxas redun-
dârit, qui non videt, Tiresia cæciorem esse oportet.
Custos ille Israëlis ipse pro nobis vigilet, & oculos nobis ape-
riat. Vale, vir amiciss.e, & vener. Dn. Decanū reliquosq.
Dnn. Symmystas officiosa salute meis imperti verbis.

Tig. 25. Julii 1657. T. T.

Joh. Wirtzius.

S. pl. A multo jam tempore; Doctissime Vir, Frater in Christo charissime; literas ad Te de-
stinaveram. Sed nescio quo fato ipse desiderio meo nunquam hactenus satisfecerim. Satisfa-
ciendum tamen, ni officio meo prorsus deesse, et ingrati animi crimine notari velim.
Tuum, Vir doctissime, et reliquorum DN. Collegarum in me affectum, quo factum est, ut πεντάδα
Alumnorum Vestrorum, posthabitis falsissimis in illo negotio innocentiæ meæ accusationibus,
quæ quorundam invidiam mihi etiamnum conflant, mihi antehac commiseritis, meritò exoscu-
lor, nec unquam grata mente agnoscere desinam. Utinam illi respondere possem! Pro virili
autem ab illo tempore, quo mecum habitant, in id unum mihi incumbendum putavi, ut docti-
ores ex nostro Gymnasio ad Academias dimitti possint. Eum in finem in Hebraicis, et Græcis
cumprimis literis eos diligenter sæpiúsque exerceo: nec, uti spero, sine fructu. Quemadmodum
autem donorum in iis observo discrimen, sic etiam profectuum. Ita tamen singuli in suis ver-
santur studiis, ut in eorum diligentia facilè acquiescam. Quoniam verò studiorum suo-
rum apud nos orbem proximo fortasse autumno conficient, paulatim de alia Musarum
sede unâ mecum soliciti esse incipiunt. Non me latet, plerosque ex Vestratibus Tiguro Basi-
leam mitti: nec consuetudinem illam improbo. Necessitas huc usque hanc methodum extorsit.
Tricennali enim bello Academiæ Germanicæ ita vel debilitatæ, vel funditus eversæ fue-
runt, ut ferè nonnisi intra patriæ limites Musarum domicilia integra manserint et illabe-
facta. Cum autem, alma pace afflictæ Germaniæ restituta, ejus Academiæ resurgant,
hactenus observata consuetudo utiliter fortasse mutari, vestrique aliorsum transferri possent.
Inter omnes Germaniæ Academias primas tenere videtur Marpurgensis. Quemadmodum
enim illa inter ipsos etiam armorum strepitus, feliciter Cassellis conservata fuit, ita nunc,
in pristinam denuò sedem translata, mirificè floret. Quidam certè ex meis antehac do-
mesticis, Theologiæ ibi per biennium studiosus, non tantùm Professores, sed annonæ etiam
vilitatem valdè commendat. Meo ergo judicio non malè ageres, si paulatim Procerum
vestrorum animos ad hanc sententiam allicere studeres, non quidem, quasi id me horta-
tore, suasore, aut impulsore fieret, sed tua sponte, tuóque judicio. Prudentiæ Tuæ rem
committo totam. Quid facto sit opus, et, an aliquid tentare consultum, nullo negotio
videbis. In tua fide maximam Alumni vestri spem collocatam habent. Sed satis.
Nolim enim primas meas extra prolixiores esse. Ubi has Tibi gratas fuisse sensero, in po-
sterum, Deo Vol., frequentiores accipies. Quod reliquum est, Te, cum Venerandis et
doctissimis DN. Fratribus et Collegis, officiosissimè saluto, méque meósque omnes favori
Vestro diligentissimè commendo. Tiguri, VII. Id. Junii, Aº MDCLVI.

R. D. T.

addictissimus

Joh. Casparus Suicerus.

Rever. et Clarissimo Viro,
Dn. Sebastiano Hoeggero,
Scholæ Sangall. Rectori,
et ecclesiæ ministro vi-
gilantissimo, Dn. et ami-
co peramanter colendo.

S. Gallen.